



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Presbyterorum & Diaconorum ordinationes vetitæ Chorepiscopis à Concilio Antiocheno, sine Episcopo. Ea verba explicata ex mente Balsamonis, adversùs Zonaram. Eadem interdictio in canone Ancyrano. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

ad Leonem III. qui irritas esse decrevit etiam ordinationes Subdiaconorum. Ratio hujus novi responsi inquiritur. Explicatur canon septime Synodi, de Lectorum ordinatione.

VII. Licet votum à Leone, & à Synodis Gallicanis, ne Chorepiscopi deinceps fierent, retenti sunt tamen ab Episcopis. Quia eorum curas levabant. Ut colligitur è Capitularibus, & Synodo Meldensi.

VIII. In quo versaretur eorum ministerium anno 840. Cujus occasione electio Episcoporum differretur à Regibus, qui reditus Ecclesie vacantis relegant. Synodus Meldensis explicata, è Flodoardo.

IX. Dubitatum iterum in Gallia de ordinibus presbyterij collatis à Chorepiscopis. Consultus Nicolaus I. respondit esse validos, sed abstinendum ab illis in posterum. Contrarium senserunt post aliquot annos provincia Belgice Episcopi. Cessatum deinceps à Chorepiscoporum institutione. Pars sollicitudinis translata in Archidiaconos. Unde lapsus Siegeris, qui Archidiaconos cum Chorepiscopis confundit. In Patriarchatu Alexandrino hodie nulli Episcopi, sed Chorepiscopi.

I. CETERUM quod attinet ad Presbyterorum & Diaconorum ordinationes, Chorepiscopis omnino eas admittit canon Antiochenus: Nec Presbyterum verò nec Diaconum audeant ordinare, prater civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Quod non ita est intelligendum, ac si ex mandato Episcopi permitti illis posset ea ordinatio. Accedere quidem potest ordinationi ab Episcopo celebrandæ, sed solus eam peragere non potest. Eleganter Balsamo: Illud autem, Sine Episcopo qui est in urbe, non accipitur pro eo quod est, sine ejus mandato, sed pro eo quod est, sine illius consecratione. Etsi enim fuerit Chorepiscopo mandatum ut Presbyterum ordinet, & hoc fecerit, irrita erit ordinatio, quod non sit ei à canonicis data Presbyterum ordinandi potestas. Quæ contra sententiam Zonaræ, etsi tacito ejus nomine, Balsamo disputat. Hoc decretum hauserat Synodus Antiochena è Concilio Ancyrano; cujus canonem Græcum recitabo, ut restituam veram lectionem, & eadem opera sinceram ejus explicationem aperiam, quæ ob illud vitium viros eruditissimos latuit: χειροτονίους μὴ ἐξέιναι ὑπεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μὲν ὑπεσβυτέρους πλῆρεις, χρις τῆ ἑπιτοπίου καὶ τῆ ἑπιτοπίου ἢ γεωμετρῶν, ἐν ἑτέρῃ παροικία. Ex hac lectione, quam Collectio Canonum Zonaræ & Balsamonis exhibet, duplex sensus elici potest, juxta varias interpretationes quas ambigua phrasid Græca ferre potest. Ita enim verti potest: Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed neque Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per litteras, in aliena parocia. Vel ita, sed neque Presbyteros civitatis, accusandi casu, non dandi, ut in su-

periori interpretatione. Iuxta priorem explicationem, potestatem admittit Presbyteris urbicis ne Presbyteros aut Diaconos ordinent, nisi eis licentia per litteras facta fuerit ab Episcopo, in aliena parocia. Quod ineptum est, & alienum à regula, quæ Presbyterorum ordinationes solis Episcopis tribuit, idque in sua cujusque parochia, cum ὑπεσβυτεῖοι χειροτονίαι omnino sint vetitæ. Si accusandi casu legas, prohibebitur Chorepiscopis Presbyteros & Diaconos ordinare, imò etiam Presbyteros urbicos, sine litteris Episcopi, in aliena parocia. Quo quid absurdius dici possit, non video. Anne qui verita est Presbyteri vicani ordinatio, non etiam potiori jure vetita est urbici, ut de hac iterum urgenda non sit interdictio, quasi de re minoris momenti ageretur, quæque superiori prohibitione non esset comprehensa? Deinde quid est illud, in aliena parocia? ac si Chorepiscopis libera esset ordinatio Presbyteri in sua parocia sine litteris, vel ab iis tentari posset ordinatio Presbyterorum cum Episcopi consensione ac litteris in aliena parocia. A Zonara vel Balsamone, qui hanc ultimam interpretationem sequuntur, nullum subsidium sperari potest: quia, ut fatetur Balsamo, seculo illo Chorepiscoporum gradus omnino exoleverat. Ideo commentandi labore superedit. Vel fortè quod desperaret sinceram sententiam canonis se assecuturum.

II. Mendosus omnino canon Græcus, è quo tot ineptiæ sequuntur. Ejus vera lectio constituenda est ex antiquis versionibus. Dionysius Exiguus, qui veterem satis confusam castigavit, sic habet: Chorepiscopi non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare. Sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque parochia. Sed editio vulgata Dionysij mutila est; ubi restituenda sunt hæc verba, aliquid agere, quæ inferere oportet post ista, Presbyteris civitatis. Etenim Epitome Canonum ab Hadriano I. concinnata è versione Dionysij Exigui, integra verba illa retinuit, quæ de sunt in editione Codicis Canonum: Ut Chorepiscopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent, nec Presbyter aliquid agat in parochia sine præcepto Episcopi. In Capitulari Aquilgranensi Caroli M. canon his verbis proferitur; quæ concinunt cum interpretatione quæ extat in Collectione Isidori: Vicariis Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid jubere, vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere. Ferrandus Diaconus Carthaginensis,

Can. Antioch. ματὲ δὲ φοιτῶντων ἡμεῶν ἐν τῇ πόλει καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς πόλεως, οὐδὲν ἐπιτοπίου ἢ γεωμετρῶν, ἐν ἑτέρῃ παροικίᾳ.

Balsamo de Ex. ἀλλὰ μὲν ὑπεσβυτέρους πλῆρεις, χρις τῆ ἑπιτοπίου καὶ τῆ ἑπιτοπίου ἢ γεωμετρῶν, ἐν ἑτέρῃ παροικίᾳ.

Syn Ancyr. cap. 13.

Capitulum Aquilgran.